

Aeliae incolis. Seuros fore ipsos quod ad vitas suas et liberos, opes et ecclesias suas, illas scilicet nec dirutum iri nec habitatum, testesque adhibuit. Aperta ergo ipsi porta urbem ingressus Omar cum comitibus suis, sedit in penetrali templi Resurrectionis. Cumque adesset tempus precationis, dixit Sophronio patriarchae: 'Orare cupio'. Cui patriarcha: 'O imperator fidelium, eo, quo es, loco ora'. Dixit Omar: 'Nolo hic orare'. Educto ergo ad templum Constantini tegetem projecit in templi medio. At Omar: 'Nec hic', inquit, 'orare volo'. Egressusque ad gradus, qui sunt ad portam ecclesiae Sancti Constantini, qua ad orientem respicit, ibi solus super gradus oravit. Dein considens dixit Sophronio patriarchae: 'Nostin, o patriarcha, quare intra templum non oraverim'? Respondit ille: 'Haud equidem novi, o imperator fidelium'. Dixit illi Omar: 'Si intra templum orassem, periisset tibi illud ac e manibus tuis exiret, Mohammedanis post discessum meum illud tibi eripientibus. Ac iam dicturi sunt: Hic oravit Omar. Verum affer mihi cartam, quo tibi syngrapham scribam'. Scripsit ergo Omar syngrapham, ne oraret Mohammedanorum aliquis super gradus nisi singulatim, neve ibi ad preces convenirent —. Tum et illi dixit Omar: 'Est quod mihi a te foederis jure debeatur. Locum ergo mihi concede, in quo templum exstruam'. Cui patriarcha: 'Ego', inquit, 'locum imperatori fidelium concedam, in quo templum exstruat —, videlicet petram, in qua Deus Jacobum allocutus est, quam appellavit Jacobus portam coeli'. — (S. 291.) Porro mortuus est Sophronius patriarcha Hierosolymitanus, postquam munere illo quatuor annis functus esset. Post mortem autem ipsius ex quo decessit, manserunt Hierosolyma absque patriarcha annos viginti novem.

Unverkennbar geht auf diese Quelle der sachlich ganz gleiche und auch in den Wendungen mannigfach daran anklingende Bericht des Wilhelm von Tripolis zurück. Derselbe lautet Cap. 9:

Obviam egreditur de civitate Sophronius implorans dextram et confederationis gratiam habitantibus in civitate, quam obtinuit. Litteras confederationis sub hac forma accepit: 'Sint habitatores christiani in Iherusalem confidentes et securi, sint sine timore sanguinis, sint mobilia eorum salva et eorum ecclesie atque domus integre maneant et salvi habitatores in eis'. His promissionibus partes consenciant et aperitur porta Iherusalem et ingrediuntur duces Arabum per turmas suas. Ingressus vero Gomar, princeps et dux populi, qui dicebatur heres Macometi, in sanctam civitatem, peciit a patriarcha Sofronio locum aptum ad orationem, forte volens gratias agere Deo pro victoria. Quem Sofronius ad ecclesiam sanctam dominici sepulcri duxit, utpote ad domum orationis cunctis gentibus consecratam. Qui ibi noluit orare, sed ait: 'Alium locum ostende'. Quem duxit ad templum edificatum per Constantinum imperatorem fidelem. 'Nec hic', inquit, 'volo orare', sed elegit simplicem locum praeter oratoria christianorum et ibi oravit, et completa oratione dixit ad Sofronium: 'Scis, quare nolui orare in vestris oratoriis?' Qui respondens ait: 'Domine mi, fidelium imperator, quomodo valeo scire secreta sapientie tue?' Et ait: 'Si ibi orassem, christiani loca illa perdidissent et facta fuissent oratoria gentis mee, quod fieri nolo; sed et in loco etiam, ubi oravi, nolo ut Sarraceni orent congregati ad iniuriam christianorum nisi forsitan unus post alium, ut non fiat ibi multitudinis congregatio, et confero exhinc nunc huic civitati sancte hanc libertatem, ut Sarraceni non possint ibi edificare oratorium suum mesged nisi in uno tantum loco, quem tu eis volueris assignare'. Et hoc factum est ita, ut usque hodie hec donatio sit obser-